

Simon Pauli Joachim Hollin

**PROPOSITIONES || DE IVSTIFI=||CATIONE HOMINIS PEC=||CATORIS, DE QVIBVS
... || praeside SIMONE PAVLI,|| Doctrinae Coelestis Professore in || inclyta
Academia Rostochia=||na, publicè respondebit || M.IOACHIMVS HOL=||LIN
Neobranden=||burgensis.|| Die 27. Aprilis ... ||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1563

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691517178>

Druck Freier  Zugang



Port. Jacob. Holler.

J. Pauli

R. U. theol. 1563.



PROPOSITIONES
DE IVSTIFI-

CATIONE HOMINIS PEC-
CATORIS, DE QUIBUS, DEO IV-

uante, *præsidente SIMONE PAULI,*

Doctrinæ Coelestis Professore in


inlyta Academia Rostochia-

na, publicè respondebit

M. IOACHIMVS HOL-

LIN *Neobrandens*

burgensis.



Die 27. Aprilis, hora
septima.

ROSTOCHII

EXCVDEBAT STEPHANVS

MYLIANDER.

1563.

*Magnifico & clarissimo viro D.
Johanni Beckio .i. v. Doctori,
Illustriſſ. principis mevaſſe
ſu. confiliario & patrono.*

PROPOSITIONES
DE IUSTIFICATIONE
NE HOMINIS PECCATORIS.

I.



EX præcipue modis in sacris literis accipitur uocabulum iusticia. Primum pro iusticia uniuersali, quæ est obedientia erga totam legem Dei, quod attinet ad externam morum gubernationem. Ad Titum cap. 3. Non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, hoc est, non sumus iusti uniuersali iusticia, quæ obedientiam præstat omnibus legibus primæ & secundæ tabulæ, quod ad externos attinet mores.

II.

Pro iusticia particulari, quæ seruat æqualitatem in rebus omnibus, & conuenientiam in personarum ordinatione, hoc est, quæ suum cuiq; tribuit, nec famæ aut facultatibus alterius nocet, seu

A 2

quæ

quæ uni alicui præcepto Decalogi obedientiam præstat. Psal. 7. Iudica me Domine secundum iusticiam meam, scilicet quod ad hoc præsens negocium attinet.

III.

Pro inchoata in renatis nouitate cum fide coniuncta. Matt. 5. Nisi abundauerit iusticia uestra plus quam scribarum, aut Phariseorum, non potestis intrare in regnum cœlorum,

IIII.

Pro interiori & exteriori obedientia erga totam legem sine peccato, quæ fuit imago Dei in homine ante lapsum, & piorum erit iusticia in uita æterna. Gal. 5. Nos ex spiritu uitæ spem iusticiæ expectamus, hoc est, perfectam & integram iusticiam in uita æterna.

V.

Pro iusticia essentiali, quæ est primum sapientia æterna & immota in Deo, discernens recta, & non recta, Deinde uoluntatis norma in Deo serio uolens & requirens, & sua quadam læticia acqui-

acquiescens in iustis, congruentibus cum sua lege, atq; horribili ira, & indignatione repellens, ac destruens omnia non recta, iniusta, & peccatorum sordibus polluta. Psal. 143. Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

VI.

Pro iusticia in Euangelio proposita, qua Deus hominem quantumuis iniustum, & peccatis contaminatum, absoluit, iustum pronunciat & reputat, propter filij sui obedientiam seu merita. Rom. 3. Nunc iusticia Dei sine lege patefacta est, de qua testificantur lex, & Prophetæ. Item Iustificamur gratis ipsius gratia, per redemptionem quæ est in CHRISTO IESU.

VII.

Iustificare autem significat in Ebraea lingua, ex iniusto iustum facere, quod intelligendum est non de qualitatum mutatione, ut cum ex frigida aqua fit calida, sed de imputatione, ut, iustifi-

A 3

camur

camur gratis, id est, absoluimur à peccatis, & quidem gratuito Dei fauore, quo nos propter filij obedientiam, seu merita complectitur.

VIII.

Ex hac uocabulorum declaratione perspicuum est iusticiam Euangelij, non in Qualitatis, sed Relationis prædicamento esse.

IX.

Fundamentum est filij Dei obedientia, quæ sufficiens λύτρον est pro peccatis, & ipsum huius iusticiæ Materiale.

X.

Terminus est persona credens, que fide tanquam instrumento adprehendit, & sibi adplicat hanc filij Dei obedientiam, propter quam iusta reputatur.

XI.

Estq; adplicatio, ut Dialectici loquuntur, quia fit translatio obedientiæ filij Dei in hominem peccatorem, & in iustum.

Quod

XII.

Quod uero sit talis iusticia perspicuum est ex multis scripturæ testimonijs. Psal. 32. Beatus uir cui dominus non imputat peccatum. Philip. 3. Ut inueniar in eo non habens meam iusticiam, quæ ex operibus est, sed ex fide IESU CHRISTI.

XIII.

Est itaq; iusticia Euangelij obedientia filij Dei, patri præstita in incarnatione, natiuitate, baptismo, docendi munere, editione miraculorum, passione, resurrectione, ascensione in cœlum, propter quam homo peccator iustus pronuntiatur, & reputatur à Deo, ubi fide sibi eam applicat.

XIII.

Vsitatum est autem aliquibus in definitione addere de uiuificatione, quod hæc simul fiat.

XV.

Id nequaquam ita intelligendum est, quasi uiuificatio, sit pars iustificatio- nis, sed quod semper eam comitetur, sicut

A 4

euc

cut exortum Solis supra Horizontem
dies sequitur.

XVI.

Omnium autem temporum homi-
nes in Ecclesia iusti fuerunt hac Euan-
gelij iusticia. Acto. 15. Credimus nos
saluari per gratiam domini nostri IESU
CHRISTI, sicut & patres saluati sunt.

XVII.

Impie itaq; Papistæ docent, Patres
ante legem latam in monte Sina, iustifi-
catos esse obseruatione legis naturæ,
post Moysen obseruatione scriptæ le-
gis, nos Christianos iustificari obserua-
tione legis Euangelicæ.

XVIII.

Existimant enim Euangelium do-
ctrinam esse de aliquibus operibus, quæ
diserte in lege non præcipiuntur.

XIX.

Ac falsa & impia est eorum opinio,
qui mirifice sibi placent hac loquendi for-
ma. Fides ducit, spes perducit, charitas
uero introducit in uitam æternam.

Descri

XX.

Describimus autem variarum causarum mentione hanc Euangelij iusticiam. Nam sepe eam esse affirmamus misericordiam & gratiam Dei, atq; intelligimus causam efficientem. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum.

XXI.

Interdum obedientiam & meritum Christi nostram asseueramus esse iusticiam, atq; intelligimus ipsum Materiale iustificationis.

XXII.

Sæpe imputationem iusticiæ, & remissionem peccatorum nominamus iusticiam hominis peccatoris & intelligimus ipsum formale.

XXIII.

Sed his causis semper includimus obedientiam & merita filij Dei.

XXIII.

Ac principalis disputatio est de Materia & Forma, quæ plane nihil reale in nobis sunt, sed simpliciter integra Christi,

sti obedientia, seu tota impletio legis,
seu satisfactio, pro transgressione nostra
facta, & imputatio iusticiæ, ac remissio
peccatorum.

X X V.

Sicut igitur uestis non est in cor-
pore nostro, nec pars corporis nostri,
sed eius munimentum, sic iusticia qua
coram Deo iusti sumus, plane nihil in
nobis est, sed quasi externum munimen-
tum, sub quo sordes peccatorum nostro-
rum tectæ latent. Psal. 32. Beati quo-
rum tectæ sunt peccata.

X X VI.

Hæc iusticia pingitur sub imagine
pellis detractæ ab oue, qua Deus statim
post lapsum in Paradiso, primos paren-
tes nostros uestit.

X X VII.

Ante lapsum primi parentes nul-
lam in se agnoscebant nuditatem, quia
induti erant ueste innocentia, quæ erat
imago Dei in ipsis.

X X VIII.

Vbi post lapsum Diabolus eos hac
ueste

ueste spoliauerat, quemadmodum allegoria de Saucio habet Luc: 10. suam cernebant & agnoscebant nuditatem, quam cupiebant tegere folijs ficus, quæ typus sunt externæ disciplinæ.

XXIX.

Sed opus erat alia ueste, facta ex pelle à corpore ouis detracta, quæ erat imago uestis obedientiæ, quam Deus sumpsit ab oue, hoc est uictima Christo.

XXX.

Nonnunquam fidem nominamus iusticiam, & intelligimus instrumentum, quo filij Dei obedientiam, & remissionem peccatorum, Materiale et formale iustificationis, nobis applicamus.

XXXI.

Tribuimus enim fidei iustificationem non tanquam operi nostro, sed uelut instrumento, quo filij Dei merita apprehendimus.

XXXII.

Est itaque impudens mendacium
Osians

Osiandri Sophistica, quæ affirmat nos
diuersos iustificandi modos constitue-
re.

XXXIII.

Effectus iustificationis multi sunt,
qui omnes hoc in loco percenseri non
possunt, sed unus ex maxime insignio-
ribus, qui & reliquos omnes complecti-
tur est is, de quo scribitur Rom. 5. Iusti-
ficati fide pacem habemus apud Deum.

XXXIII.

Semper etiam cum iustificatione
coniuncta est noua obedientia.

XXXV.

Vt enim bonam arborem boni fru-
ctus sequuntur, ita iustificationem fidei
noua obedientia comitatur.

XXXVI.

Ideo Propheta & Apostoli semper
doctrinæ de iustificatione uelut fructus
necessariò comitantes, seu uelut adia-
centia; seu adiuncta annectunt bona
opera.

Tunc

XXXVII.

Tunc autem dicuntur, & sunt opera bona, quando fidei iustificationem sequuntur, iuxta dictum: Quicquid non est ex fide peccatum est. Et Augustinus inquit in prima quinquagena ex prologo Psal. 31. Crede in Deum qui iustificat impium, ut possint & bona opera tua esse bona. Idem in Psal. 67. Necessè est ut antecedit fides, ut inde opera, non ab istis, incipiat illa. Et alibi inquit: Bona opera non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum.

XXXVIII.

Malè itaq; & impiè docent de iustificatione Papistæ, & reliqui omnes qui bona opera, aut ipsam iustificationem, aut partem aliquam iustificationis constituent.

XXXIX.

Impius etiam Osiandri furor est de iusticia essentiali, quam affirmat esse ipsum Deum mouentem nos ad iusta faciendâ, seu ipsius diuinitatis iusticiam influentem in nos, atq; in nobis habitantem,

tem, seu ipsam nouitatem quæ oritur ab
essentia diuina in nobis habitante.

XL.

Quanquam enim in iustificatis ha-
bitat diuinitas, atq; iustas in eis opera-
tur actiones, tamen his nequaquam ius-
ti sunt.

XLI.

Nam causa ordine naturæ præce-
dit effectum & non sequitur.

XLII.

Certum est autem tunc primum ho-
minem peccatorem fieri domicilium di-
uinitatis, quando iustum eum pronun-
ciauit Deus, alioquin etiam in impio ha-
bitaret. Rom. 8. Quos iustificauit hos
& glorificauit.

XLIII.

Ac disputatione Osiandri de iustitia
essentiali obscuratur filij Dei obedi-
entia, & tolluntur omnia eius merita.

XLIIII.

Agimus autem toto pectore gratias
as filio Dei quod ueram sententiam do-
ctrinæ

ctinæ de iustificatione, quæ animarum
nostrarum, & salutis, ac omnium con-
cionum Propheticarum, & Apostolicarum
fundamentum est, in nostris Eccle-
sijs instaurarit, eumq; ardentibus uotis
oramus, ut acceptam ueritatem in nobis
confirmet, atq; obsignet.

XLV.

Nam ut uerissime dictum est à di-
uino illo Luthero, atq; Theologorum
omnium principe: Stante articulo iusti-
ficationis stat Ecclesia: conuulso autem
& labefactato hoc articulo uelut fun-
damento, quo Ecclesiæ cor-
pus nititur, necesse est
ut uniuersa ruat
Ecclesia.

Iohannis capite i.

ECCE AGNVS DEI QVI TOL-
LIT PECCATA MVNDI.

cut exortum S
dies sequitur.

Omniū
nes in Ecclesi
gelij iusticia.
saluari per gra
CHRISTI, sic

Impie ita
ante legem la
catos esse ob
post Moysen
gis, nos Chri
tione legis E

Existim
trinam esse
diserte in lege

Ac falsa
qui mirifice f
ma. Fides d
uero introdu

Horizontem

porum homi
at hac Euan
redimus nos
i nostri IESV
aluati sunt.

ocent, Patres
e Sina, iustifi
egis naturæ,
ne scriptæ le
icari observa

angelium do
operibus, quæ
iuntur.

eorum opinio,
c loquendi for
ducit, charitas
eternam.

Descri

